IOANNES LACAU S. C. I.
IURIS CANONICI DOCTOR ET PROFESSOR


IN TIT. III. LIBRI I.

NOVI CODICIS IURIS CANONICI

"DE TEMPORE"

DISSERTATIO

PHILOSOPHICO - SCIENTIFICO - IURIDICA



AUGUSTAE TAURINORUM - ROMAE
Sumptibus et typis PETRI MARIETTI - Editoris
S. SEDIS APOSTOLICAE ET S. RR. CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI
Domus a. 1820 condita

MCMXXI.

Ejusdem Auctoris ac Editoris

Proxime in lucem prodibit:

Précieux Trésors des Indulgences

mis à la portée de tous les fidèles

(Codex J. C. lib. III, Pars I, Tit. IV, cap. V).

In præparatione:


In Part. II, Lib. II, Cod. J. C.

COMMENTARIUM

DE RELIGIOSIS

DE TEMPORE






IOANNES LACAU S. C. I.
IURIS CANONICI DOCTOR ET PROFESSOR

IN TIT. III. LIBRI I.
NOVI CODICIS IURIS CANONICI

"DE TEMPORE"

DISSERTATIO
PHILOSOPHICO-SCIENTIFICO-IURIDICA





AUGUSTAE TAURINORUM - ROMAE
Sumptibus et typis PETRI MARIETTI - Editoris
S. SEDIS APOSTOLICAE ET S. RR. CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI
Domus a. 1820 condita

MCMXXI.

Imprimi potest.

Romae, die 10 Iulii 1921.
in festo « S. M. Miraculorum ».

(L. † S.)

H. Paillas, *Sup. gen.*

Nihil obstat.

Taurini, die 24 iulii 1921.

P. Angelus Taverna S. I.,
Rev. Archiep.

Imprimatur.

C. FRANCISCUS DUVINA, *Provic. gen.*

Rev.mis et clarissimis suis Magistris (1)

Auctor S. P. D.

Diu non est, cum in Iuridica Facultate apud Pontificii Seminarii Romani Scholas, tanquam scholasticae exercitationis materia, proposita fuit dissertatio « *de Tempore* », qui novus titulus in novo Codice apparet.

Ut notum est, e meis condiscipulis, nullus argumentum hoc pertractare voluit, utpote quod in iuridicis disciplinis novitatem saperet; fortasse etiam, ut opinor, ob aliam causam a tali lucubratione omnes abstinuerunt, eo quia notissima Doctoris Augustini verba recogitabant: « *Quid est ergo tempus? Si nemo ex me quaerat, scio; si quaerenti explicare velim, nescio* » (2).

Ast ego prae ceteris audentior, immo (quid ni fatear?) magis temerarius (si tamen *temeritas* dici potest ipsa obedientia et docilitas enixis et instantibus hortationibus venerandi mei Magistri), de hoc gravi themate disserere conatus sum, cuius schema sapienti vestro iudicio subiiciendum necessitas et rei convenientia requirit.

In hac igitur thesi conficienda, quam vestro nomini inscribere pergratum mihi est, illud imprimis prae oculis habui, ut mei grati

---

(1) Isti sunt: FRANCISCUS ROBERTI: Professor Institutionum I. C.; Iudex pro-synodalis in Vicariatu Urbis; Consultor S. C. Sacramentorum; Rector Pont. Seminarii Vaticani.

ROBERTUS VICENTINI: Professor I. Publici et Internationalis; In Curia Romana Advocatus; Promotor Iustitiae in S. R. Rota; *Nunc* (ab anno 1921) Archiepiscopus Helenopolitanus et in Ditione Hollandica Internuntius Apostolicus.

P. PHILIPPUS MAROTO: Professor Textus I. C.; Consultor SS. CC. S. Off. Conc. et Relig.; *Nunc* (ab anno 1921) Cons. Propagand. Fid.; Iudex pro-synodalis in Vicariatu Urbis; Procurator Generalis Miss. Fil. Imm. Cor. B. M. V.

IACOBUS SOLE: Textus Can. Professor; In Curia Romana Advocatus; Supremi Tribunalis Sign. Apost. Prael. Referendarius; Consultor S. C. Conc. et Com. Pont. ad Codicis Canones authentice Interpretandos; *Nunc* (a mense Oct. 1920) Auditor S. R. Rotae.

(2) XI *Conf.*, c. XIV.

et benevolentis animi sensus vobis aliquo modo exhiberem, qui in praelectionibus iuris canonici tradendis apud praefatam scholam, mentem meam, ea qua polletis scientia et perspicuitate, informare sategistis.

Ceterum si quid in hac thesi a veritate alienum vel minus recte expositum invenietis, aperte profiteor, me animadversiones vestras libenti animo excepturum ad plenum veritatis triumphum, ad maius Ecclesiae emolumentum, ad maiorem Dei gloriam et honorem.

Fausta quaeque a Deo scientiarum Domino vobis adprecatus, vocari cupio sincero cordis affectu

Infimus discipulus

I. L.

ROMAE, scribebam ad " S. M. dei Miracoli ",
die 20 septembris 1920.



Approbationes et Commendatitiae

Rev.me Pater,

Gratulor tibi quod vix obtinueras Iuris lauream, statim fueris aggressus scripto Ius exponere, immo quod titulum inter difficiliores Iuris nostri susceperis illustrandum; sed magis adhuc gratulor quod rem bene perfeceris: iis namque canonistam optimae spei te ipsum ostendisti.

Bono igitur animo perge in inceptis, nec calamum deponas, quin e contra novis exercitationibus alia Iuris capita vel potius universum Ius canonicum publice patefacere contendas.

Tuus addictissimus

Romae, mense Novembri 1920.

PHILIPPUS MAROTO, C. M. F.

Consultor S. Officii et SS. CC. Concilii et Religiosorum,
Professor Textus Iuris Canonici in Athenaeo Pontif. Seminarii Romani.

Franciscus Roberti

Ioanni Lacau

Salutem plurimam in Domino dicit.

Perspicuam a te confectam disputationem de tit. III L. I Codicis Iur. Can. laeto animo excepi libenterque perlegi. Est sane quod tibi, olim discipulo, nunc doctori egregio et amico carissimo, magnopere gratuler, cum quae in scholis didiceris, multis, praesertim ex re philosophica, additis, omnibusque opportune digestis, dilucide exposueris.

In optatis mihi est, ut alia de iure canonico opera, cuius studio pro tua intelligentia semper toto animo insistis, mox sis editurus.

Tibi in Christo addictissimus

Romae, Kal. Dec. a. 1920.

FRANCISCUS ROBERTI,

Consultor S. C. Sacramentorum, Rector Pontificii Seminarii Vaticani,
Professor Iuris Can. in Facultate Iuridica Pontificia.

Reverendissime Pater:

Oblectamine magno dissertationem « De Tempore », perlegi, quam nuper concinnasti et mihi meisque in magisterio sociis humaniter dicare voluisti. Opusculum tuum, ad rectam nonnullorum canonum Codicis interpretationem utilissimum, laude dignum est ac omnibus, qui Iuris Canonici studio vacant, valde commendandum. Dum, igitur, tibi gratulor ex animo debitasque ob tui benevolentis animi pignus gratias ago, vehementer te hortor ut, ad Dei gloriam et Ecclesiae decus, alia, eaque maiora, id genus opera exares. Vale.

Tibi addictissimus

Romae, 7 Decembris 1920.

ROBERTUS VICENTINI,
Promotor Iustitiae in S. R. Rota
Prof. Iur. Internationalis
in Facultate Iuridica Pont. Seminarii Romani.


Reverendissime et Carissime Pater:

Optime « De Tempore » scripsisti. Dum tibi gratulor et quam maximas gratias ago de Opere, etiam meo nomini inscripto, te enixe hortor, ut *tempore iugiter utaris, sicut de eo scripsisti.*

Addictissimus

Romae, die 27 decembris 1920.

Prof. IACOBUS SOLE,
Auditor S. R. Rotae.



Ad Benevolos Lectores

Fortasse aliquis iam miratus fuerit, nos prioribus duabus partibus, « philosophica » *scilicet et* « scientifica » *tamdiu fuisse immoratos, cum tamen mens nostra praecipue foret commentarium in III Titulum Codicis componere.*

Quamobrem ne offensioni locus daretur et obiectionis praecavendae causa, opellam nostram sub « generico » *titulo inscripsimus* « DE TEMPORE ».

Posito nempe huiusmodi titulo, conveniens erat nonnullas metaphysicas notiones *tanquam fundamenta tradere, scilicet lectorum oculis subiicere* definitionem aristotelico-scholasticam « de tempore »: *quod argumentum, quamquam paulo fusius a nobis tractatum est, revera tamen, perspecta rei amplitudine ac praestantia, multa brevitate laborare perspicuum est.*

Scientificam *partem magis illustrandam curavimus, cum haec necessaria sit tum ad plenam quarumdam normarum III Tituli Codicis intelligentiam, tum etiam ad revocandas in memoriam eorum, qui iuris studio favere incipiunt, astronomicas illas notiones quas quidem in* « Gymnasiis » *et* « Lyceis » *olim didicerant, sed, malo fato, oblivioni tradiderant, non obstantibus Summorum Pontificum praescriptionibus, quae in programmate reperiuntur, sic inscripto:* « *ORDINAMENTO DEI*



SEMINARI, 26 aprile 1920 ». *Ibi enim, in pag. 26, ita legitur:* « Lo studio della filosofia razionale deve essere accompagnato da quello di altre scienze, quali la matematica, la fisica, l'astronomia, le scienze naturali, *etc.* ».

Quoad vero partem iuridico-canonicam, *fatemur hanc profecto maiorem explanationem fuisse merituram, praesertimque principia evolvenda esse quae saepius in usum venire possint, singulos casus accurate declarando in quibus adhibendae sint* « regulae de tempore » *in diversis Iuris partibus. Verum haec plenior et diligentior disquisitio de singulis canonibus, qui passim in variis Codicis Libris ac Titulis inveniuntur, nos ab incepto proposito removeret, et convenientes ac rationabiles huius opellae limites praetergrederetur. Id forsan, Deo favente,* « opportuniore tempore » *perficere conabimur. Interea* « tempus urget », *quia non pauci fideles amici, professores et condiscipuli instant, ut quam primum thesim nostram exseramus. Eam igitur, qualiscunque sit, publici iuris faciendam tradimus, veniam postulantes si quid in ea desideretur aut minus recte perfecteque dictum deprehendatur. Ceterum, studiosi lectoris animadversiones libenti gratoque animo suscipiemus, novae editioni maxime profuturas.*

Valete et « *longum* » *vivite* « tempus »

AUCTOR.



DE TEMPORE



PRAENOTANDA
SEU
INTRODUCTIO GENERALIS TOTIUS DISSERTATIONIS

1. — Quaestionem sumimus pertractandam « *De Tempore* », quae prodesse aliquo modo possit ad interpretationem **Tituli tertii** codicis Iuris Canonici, qui inscribitur « **De temporis supputatione** ».

2. — Haec est materia prorsus nova in disciplina iuridica, cum de ista non habeatur specialis tractatio in iure antiquo; sed est materia maximi momenti et quidem *generalis*, quia non ad aliquam iuris partem coarctatur, sed ad omnia instituta iuridica plus minusve extenditur, seu per integrum fere ius patet, ita ut quotiescumque *de tempore* agatur in quolibet negotio iuridico, **ad normam huius tractationis** definiri et **supputari debeat** (*can.* 31).

3. — Excipiuntur tamen sequentia:

1) **Quando agitur de re liturgica** (*ibid.*), de qua **Codex novus plerumque nihil decernit** (*can.* 2).

2) **Quando expresse aliud statuitur** (*ibid.*), sive *a iure* sive *ab homine*. Ita, v. g.: *A*) *A iure*, seu ab ipsa lege, statutum est, quod **tempus urgendi contractuum obligationes** determinatur *primo* **a libera paciscentium voluntate** et in eius defectu **a praescriptionibus iuris civilis, in territorio vigentis,** ubi contractus initus est (*can.* 33, § 2). Item *a iure* statutum est, quod **dies affixa pro lucranda aliqua indulgentia** non computatur, ad normam huius tractationis, a media nocte ad mediam noctem, scilicet per spatium 24 horarum, **sed a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem, quae statutam diem claudit** (*can.* 923); quod spatium, ut quisquis videt, constat 36 horis. — *B*) *Ab homine* autem, scilicet a superiore competente, determinari potest tempus servandum in suis constituendis ordinationibus.

Exceptis ergo praedictis institutis et casibus, tempus semper supputari debet **ad normam canonum Tituli tertii** (*can.* 31).

*

* *

4. — His autem praenotatis ad interpretationem **canonis 31,** qui *introductorius* dici potest, natura *temporis* prius definienda nobis videtur in suo ente *philosophico* seu *metaphysico*, deinde illustranda et melius evolvenda in suo adspectu *scientifico* et *empirico*, ut tandem facilius deveniri possit ad *explanationem exegeticam* praedictorum canonum Tituli III. Unde tres partes:

1ª *pars*, philosophica seu metaphysica.

2ª *pars*, scientifico-empirica.

3ª *pars*, iuridica seu canonica.



PARS I.

METAPHYSICA

5. — Quid est ergo tempus?

Quaestio quidem difficillima, ait enim S. Augustinus: « *Si nemo ex me quaerat, scio; si quaerenti explicare velim, nescio* » (1).

Scholastici tamen, duce Aristotele, tempus definire consueverunt: « *numerum* seu *mensuram motus secundum prius et posterius* » (2).

Ad quam definitionem recte intelligendam, considera imprimis naturam motus de quo agitur. Motus hic est *actus successivus*. Cum enim omne mobile pertranseat aliquod medium interpositum inter extrema motus, (sicut homo qui migrat ex una urbe in aliam, pertransit motu locali distantiam quae intercedit inter eas urbes et invenitur successive in omnibus eius distantiae partibus, numquam vero in duabus simul), hinc est quod in omni motu considerari possunt partes quae singulae respondent partibus medii, quod mobile pertransit, sicut partes itineris distinguuntur secundum partes eius viae qua fit iter. Hoc vero interest inter *medii* ac *motus* partes, quod priores existunt *omnes simul*, unde totum quod eae con-

(1) XI *Conf.*, c. XIV.

(2) Arist., in 4 *Phys.*, c. 3. — S. Th., IV *Phys*, lect. 17.

stituunt, dicitur *quantum permanens;* contra, partes motus nonnisi *successive* existunt, unde motus dicitur *quantitas successiva.*

Notandum insuper, quod in utroque illorum, scilicet in medio et in motu, nulla invenitur pars actu a ceteris divisa, cum nullus sit realis limes, quo una terminatur et alia incipiat; sed isti limites possunt tantum intellectus operatione fingi, (ut puta, si lineam dividas applicatione alicuius mensurae, v. g. metri, eamque tria metra longam esse dicas). Omnis autem res eiusmodi, cuius partes non actu divisae sunt sed communi vinculo copulantur sine limitibus, et differunt tantum secundum positionem, vocatur *quantum continuum* aut quantitas continua. Inde est quod motus vere unus non interruptus est quaedam *quantitas continua* (1).

6. — Sicut autem quantitas corporum considerari potest abstracta a quolibet subiecto et sic considerata vocatur *spatium:* ita esse rei mobilis potest considerari abstractum a subiecto et solummodo ut aliquid extensum in partes, secundum partes motus cuius subiectum est res mobilis, ita ut per partes motus mensuretur esse rei mobilis. Porro esse hoc modo conceptum, scilicet tanquam extensum et motu mensurabile, vocatur « *duratio* ». Quae igitur duratio, sicut motus, quantitas successiva est, et quidem *continua* quamdiu non est actu divisa in partes, *discreta* autem fit id est non continua si partes in ea intellectus operatione designantur. Haec quantitas discreta est id ipsum quod vocatur *numerus.*

Dicendum ergo, quod « *duratio* », semel ac facta est quan-

(1) Aliter si partes essent non continuae, sed contiguae ut inter se « morulas » aliquot interpositas haberent, dici deberet *quantitas discreta*, scil. non motus unus, sed collectio motuum successivorum (Brin, *Philosophia Schol.*, t. I, n. 178).

titas discreta per partium designationem ab intellectu vere vocari potest « numerus motus » i. e. quantitas discreta constituta partibus motus.

Hic « *numerus motus* » est *tempus.*

Ne autem quis suspicari possit in hoc numero alias partes considerari praeter illas, quae differunt ipsa successione qua aliae sunt aliis priores et posteriores, additur in definitione aristotelica: « *secundum prius et posterius* ». Tempus enim, sicut motus, uti iam vidimus, essentialiter consistit in successione, seu in continuo et indesinenti fluxu partium quarum una praecedit et alia succedit.

Tota igitur haec definitio temporis posset aliter sic exponi: « Quantitas discreta partibus motus constituta quae partes sunt aliae aliis priores ac posteriores ».

*
* *

7. — Ita explicato conceptu metaphysico *Temporis*, dicendum videtur, tot esse tempora, quot sunt motus.

Tempus tamen a nobis concipitur, ut aliquid unum et ut communis mensura, cui comparamus omnes alios motus.

Ideoque in conceptione temporis duo distinguendi sunt gradus, nempe *a*) primum concipitur duratio in aliqua re mobili et tempus tribuitur huic rei, ut accidens eius, seu ut mensura durationis talis rei. — *b*) Deinde homo cum animadvertat, varios et innumeros motus inter se coexistere, naturaliter inclinatur ad abstrahendum ab eis aliquam communem mensuram, quam possit omnibus istis applicare, quaeque illi prosit ad omnes eos melius cognoscendos; quam mensuram cum oporteat esse aliquid fixum et constans necesse est

ut sumatur ex aliquo motu uniformi cui possint commode comparari ceteri motus qui in mundo observantur. Hunc autem motum uniformem Deus nobis praebuit in telluris rotatione circa seipsam et circa solem (1), ex qua facti sunt dies et annus. Homines ergo natura impulsi ducti sunt ad considerandum *tempus* in motu apparenti solis per coelum: unde sol dictus est « *dispensator temporum* » (2), et ad statuendas eas temporis partes quae sunt dies et anni quibus partibus utimur ut communi mensura ad quoslibet alios motus metiendos.



8. — Dicendum superest de elementis temporis, sc. utrum recte dividatur tempus in tres partes, quae sint *praeteritum*, *praesens* et *futurum*, an tantum constituatur e duabus partibus sc. *praeterito* et *futuro.*

Ad quod dubium solvendum, meminisse satis est tempus esse quantitatem *successivam* et *continuam*, ut iam superius explanatum est, in qua quaecumque indivisibilia designari possunt, dici debent *limites* non partes. Constat enim successione continua, sicut linea fingitur constare motu puncti; nec tamen punctum dici potest pars lineae, quia est aliquid indivisibile.

Porro instans praesens, seu *praesens*, quod dicitur *nunc*, se habet omnino in quantitate successiva, sicut punctum in

(1) Nec iste motus terrae est uniformis, uti infra videbitur ex illustratione *scientifica,* sed ita fingitur abstractione mentis.

Altior abstractio finxit *tempus mathematicum* quod iuxta celebrem astronomum Newton, « *in se et natura sua absque relatione ad externum aequaliter fluit* ».

(2) Antonelli, *De tempore legali,* c. 1, n. 6.

linea: non est ergo pars temporis, sed limes, seu terminus, seu medium, vinculum, quo iunguntur ambae illius partes, praeteritum sc. et futurum.

9. — Attamen quando dividitur tempus per applicationem alicuius mensurae determinatae, puta anni, aut diei, aut horae, potest vocari hoc nomine « *tempus praesens* » illa pars, annus sc., aut dies, aut hora, quae nec tota praeteriit, nec tota futura est, sed in qua invenitur instans praesens, quae pars opponi potest tum iis, quae totae praeterierunt et quibus constituitur *tempus praeteritum*, tum illis quae totae futurae sunt, quae vocantur *tempus futurum.*

Hoc igitur modo intellecta, legitima est divisio temporis in tres partes, *praeteritum* sc. *praesens* et *futurum*, et recte concludimus cum S. Augustino (1): « *Quod si nihil praeteriret, non esset praeteritum tempus; et si nihil adveniret, non esset futurum tempus; praesens autem, si semper esset praesens* (i. e. *nisi successive flueret*) *iam non esset tempus sed aeternitas* » (2).

10. — **N. B.** — Differt tempus ab aeternitate quia *tempus* est mensura durationis earum rerum, quae initium et finem habent; *aeternitas* vero significat durationem, quae initium et

---

(1) XI *Conf.*, c. XIV.

(2)
Il passato *non è, ma se lo finge*
La vana rimembranza;
Il futuro *non è, ma se lo pinge*
La credula speranza;
Il presente *sol è, ma in un baleno*
Fugge del nulla in seno,
Tal che la vita appunto
È una memoria, una speranza, un punto.
« Ignoti Auctoris. »

finem non habet: unde a Boetio definitur: « *interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio* » (1).

Inter *aeternitatem* et *tempus* quasi medium habetur *aevum* quod est duratio rerum quae habent initium, finem vero non habent (cf. S. Th., *Summ. Th.*, p. 1, q. 10, a. 1, c.; *ib.* a. 4, 5; S. Aug. L. XI passim).

Aeternitas soli Deo competit; *aevum* Angelis et omni substantiae spirituali convenit; *tempus* vero rebus physicis proprium est.

Cf. Brin, *Philosophia schol.*, t. 1, n. 189.

A. Audin, *Compendium philosophiae*, p. 273 et seq.

(1) Boet., *De consolatione philosoph.*, lib. V, pr. 6.



PARS II.

SCIENTIFICO-EMPIRICA

11. — His igitur praemissis de natura et definitione metaphysica Temporis ad nostrum scopum quod spectat, nobis tradendae videntur nonnullae notiones astronomico-historicae quae maxime proderunt ad intelligentiam canonum Tituli III.

12. — Iam diximus quod Sol est « *dispensator temporum* »; melius dicendum quod tempus definitur et illustratur ex motu *Solis* et *Lunae*.

1) Ex *Sole* enim (sc. ex eius motu apparenti) habetur principalis divisio temporis in *annos*, *dies* et *horas*, quam egregius poeta Lamartine istis versiculis complexus est:

Des *moments* les heures sont nées,
Et les *heures* forment des jours,
Et les *jours* forment des *années*,
Dont le *siècle* grossit son cours (1).

2) Ex *Luna* vero habetur alia divisio secundaria in *menses* et forsan etiam in *hebdomadas*.

De singulis pauca:

---

(1) Quae stropha, pro iis qui gallicam linguam non callent, ita latinis versibus reddi potest:

De « momentis » horae natae,
« Horae » vero dies explent,
« Dies » formant « annos »: late
Horum cursum « saecla » replent.

13. — Quid est annus? Annus est temporis intervallum quo Sol zodiacum lustrat.

Quid est dies? Dies est temporis intervallum quo Sol totam terram illuminat.

Ita communiter.

Sed magis scientifice haec mihi exponenda sunt.

14. — Iuxta notiones astronomicas scimus terram sicut et alios planetas duplicem habere motum: 1) motum translationis circa solem, qui motus in *uno anno* (1) completur ab occidente ad orientem; 2) motum rotationis circa semetipsam qui pariter ab occidente ad orientem in *uno die* (2) absolvitur.

I. — De Annis (3)

15. — Terra suam translationem aut revolutionem circa Solem complet sectando lineam curvam vocatam eclipticam, coram qua inveniuntur duodecim constellationes, quae appellantur duodecim signa zodiaci (4), (hinc definitio, ut supra, « intervallum, quo Sol zodiacum lustrat »).

---

(1) Adest annus *sideralis,* sc. tempus illud quod terrae necessarium est ad percurrendum gyrum completum seu 360°, vel 365 dierum 25; adest annus *tropicus,* i. e. tempus illud transcurrens inter duos consecutivos transitus solis ad aequinoctium vernum, et est 365 dierum 24. Igitur annus tropicus est aliquantulum brevior quam annus sideralis, sc. 20 m. 23 ms. Ratio huius facti in eo sita est quod in singulis annis aequinoctium vernum levem moram patitur. Annus *tropicus* ille est qui *calendario* inservit.

(2) Melior haec expressio: « *In uno die siderali* ». Dies enim sideralis durationem semper aequalem habet. Est brevior 3 m. 55 s., quam *dies solaris medius,* de quo postea fiet sermo, qui vitae consuetudines moderatur.

(3) Dicitur annus ab annulo cum instar annuli in se redeat. Unde Virgilius in *Georg.*, lib. II, v. 402; « *Atque in se sua per vestigia volvitur annus* ».

(4) « . . . . . certis dimensum partibus orbem
Per *duodena* regit mundi Sol aureus astra. »
(Virgilius, *Georg.,* lib. I, v. 231).

Huiusmodi revolutio completur praecise spatio dierum 365, hor. 5, m. 48, s. 47. Sicut autem haec duratio non est exactus dierum numerus, et sicut pro necessitatibus et uniformitate vitae civilis annus dividendus est in exacto numero dierum, determinatus fuit pro anno civili exactus numerus dierum 365.

Sed tunc non adest concordantia cum anno solari: singulis enim annis adest quaedam differentia seu recessio 5 hor., 48 m., 47 s.

Haec autem differentia vel recessio, singulis annis facta additione, causa fuit, cur omnis concordantia inter annum civilem et gyrum periodicum tempestatum destrueretur.

16. — Ad remedium huic incommodo afferendum, Iulius Caesar, ex consilio Sosigenis, astronomi graeci Alexandriae, anno 45 ante aeram nostram, annum bissextilem excogitavit qui in hoc consistit: differentia vel recessio, de qua sermonem fecimus, realiter constans 5 horis, 48 m., 47 s., 5 ab eo transformata fuit in 6 horas (numero rotundo) et constituit *quartam partem* unius diei. Huiusmodi *quarta pars* sub fine annorum *quatuor* integrum diem efformat. Tunc singulis quatuor annis ipse addidit integrum diem anno ordinario civili dierum 365, quae additio efformabat dies 366. Hinc annus ille intercalaris bissextus vel bissextilis dicitur (1). Ista vocatur ex nomine sui auctoris Iulii Caesaris: « *Reformatio Iuliana* ».

---

(1) Quoniam iste dies complementaris intercalabatur inter 6m et 5m diem ante Calendas Martii, ideoque dicebatur *bis-sexto - Calendas*. Hodie esset inter diem 23m et 24m Februarii, sc. 24 Februarii (bis).

Cf. infra Calendarium Romanorum, n. 28.



17. — Sed heic aderat etiam novus fons erroris. Haec enim differentia *sex* horarum in die, quam Iulius Caesar statuerat, realiter erat 5 *horarum*, 48 *m.*, 47 *s.*, vel 0,0078, vel 3/400 diei, quod *post* 400 *annos* exhibet novam recessionem 3 *dierum* 12.

Una ex consequentiis huius erroris fuit quod aequinoctium vernum quod, anno 325, secutum fuerat die 21 martii, anno 1582, locum habuit die 11 martii, sc. regressum fecerat circiter 10 dierum (exacte autem 9 *dies* 8 ; iste enim numerus est revera derivatio recessionis initialis 0,0078 multiplicatae per numerum annorum decurrentium inter annum 324 et 1582).

18. — Ut autem definitiva concordantia restitueretur, Summus Pontifex Gregorius XIII statuit: 1) Ut post *quartam diem octobris* anni 1582, sequens dies non esset dies *quinta* octobris, sed *decima quinta.* Isto enim modo cessabat ille decem dierum regressus, seu retardatio, de qua supra locuti sumus, et aequinoctium vernum iterum adducebatur a die *undecima* ad diem *vicesimam primam* martii. Et ita error, qui in praeteritum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus. — 2) Ne autem hic error 3 dierum 12 in quadringentis quibusque annis in posterum amplius renovaretur, statuit praeterea, ut in singulis quadringentis annis fieret *obtruncatio trium dierum*, videlicet quod circa quatuor annos saeculares, qui iuxta Iulianam Reformationem esse debebant omnes bissextiles, unus tantum esset bissextus.

Ita annus saecularis 1600, qui primus successit anno 1582, *fuit bissextus* (fuit igitur 366 dierum).

Annus 1700 non fuit talis: (igitur 365).

Annus 1800 non fuit talis: (igitur 365).

Annus 1900 non fuit talis: (igitur 365).

Annus 2000 *erit bissextus:* (ergo 366).

Atque ita successive...

Haec autem ex nomine sui auctoris Gregorii XIII appellatur: « *Reformatio Gregoriana* » (1).

19. — En igitur quomodo *ex Reformationibus Iuliana et Gregoriana, annus civilis* in omnibus punctis concordat cum *anno solari,* cum iuxta casus constare possit vel 365 vel 366 diebus.

II. — De Diebus

20. — Scimus quod terra *gyrum faciens super semetipsam* spatio *unius diei,* exhibet successive *soli* omnia puncta suae circumferentiae *aequatorialis,* quae est secta in indefinitum numerum punctorum ab aliis circumferentiis, quae dicuntur *meridiani.*

Ex quo sequitur quod dies *verus* seu *solaris* est illud intervallum, decurrens inter duos transitus superiores consecutivos solis ad *meridianum unius loci:* « **tempus locale verum** » (*can.* 33).

Ex. gr.: adest vera meridies in urbe Roma, tempore transitus superioris solis ad meridiem Romae.

(1) Adhuc tamen remanet levis error: Annus enim *gregorianus* est nimis longus 0,0003 (quovis anno). Id autem formabit 3 dies post 10.000 annos, vel unum diem post 3333 annos. Idcirco propositum fuit non considerare tanquam bissextilem, neque annum 4000 neque integros multiplos eiusdem anni.

21. — Sed dies solaris (verus) non habet constantem durationem; attenta enim variatione celeritatis terrae circa solem (1) et inclinatione eclipticae super aequatorem (2) dies solares (veri) non sunt aequales inter se. Nequeunt igitur adhiberi tanquam *unitas temporis* pro consuetudinibus vitae civilis.

En ratio ob quam excogitatus fuit *alter Sol* qui se movet *motu* (3) *uniformi* super aequatorem; et appellatur *dies solaris medius* tempus decurrens inter duos transitus istius solis ad meridianum loci: « **Tempus locale medium** » (*can.* 33).

22. — Solummodo per quatuor vices in anno vera meridies coincidit cum meridie media: scilicet circiter diebus 15 aprilis, 15 iunii, 1 septembris, 25 decembris; quovis alio anni momento, vera meridies est sive anticipata sive retardata super meridiem mediam, et dicitur « *aequatio temporis* » differentia exurgens inter horam mediam et horam veram. Haec differentia tamen nunquam est valde notabilis quia maximus eius valor non attingit 17 minuta (4).

---

(1) Haec celeritas, eo magis est rapida, quo *tellus* plus appropinquat *soli*.

(2) Planum eclipticae est inclinatum super planum *aequatoris terrestris* gradibus 23 et 1/2, vel, aliis verbis, axis terrestris, qui movetur circa solem semper modo parallelo sibimetipsi, est inclinatus super planum eclipticae gradibus 23 1/2.

Ex hac autem dispositione consequitur quod terra, in sua annua revolutione circa solem, invenitur successive sive ad *altitudinem solis* (tempore *verno* et *autumnali*), sive ad gradus 23 1/2 inferius (tempore *aestivo*), sive ad 23 1/2 superius (tempore *hiemali*).

Quando terra attingit *altitudinem solis,* duo poli sunt pariter distantes ab hoc astro, et consequenter circulus illuminationis confunditur cum *meridiano,* et in isto casu *dies est aequalis nocti* in duobus hemispheriis; hoc autem appellatur *aequinoctium,* phenomenum quod renovatur die 21 martii (aequinoctium *veris*) et die 22 Septembris (aequinoctium *autumni*).

Exceptis his duobus casibus, terra est vel *supra* vel *infra* solem, circulus illuminationis amplius non coincidit cum meridiano, sed cum isto format angulum quotidie in augmento, donec attingat gradus 23 1/2: tunc habentur solstitia 1) *aestiva,* a die 21 Martii usque ad 21 Iunii (hic est extremus limes in quo dies sunt longiores in hemispherio boreali) — 2) *hiemalia,* a die 22 Septembris usque ad 21 Decembris, ultimus limes in quo noctes in eodem hemispherio perveniunt ad suam maximam magnitudinem.

(3) Motu scilicet *apparenti,* quia revera motus est *terrae* et non *solis.*

(4) Diaria « *Annuaire du Bureau des Longitudes* » et « *La connaissance des temps* » indicant, singulis anni diebus, *horam mediam* in *vera meridie.*

III. — De Horis (1)

23. — Dies solaris medius divisus est in 24 horas.

Id significat quod, in hoc 24 horarum spatio, terra (uti supra diximus) exhibet successive Soli omnia puncta suae circumferentiae aequatorialis, scilicet suos 360 gradus (360° cum aliqua insuper fractione gradus (cf. p. 20, not. 2).

Consequenter:

Una hora aequivalet 360°/24 = 15°

Unus gradus aequivalet $60^m/15$ = 4 minutis.

Quapropter quando in urbe Roma est meridies *a)* est hora 11ª cum 40 minutis in civitate Taurinensi, quae sita est ad 5 gradus in occidente Romae; *b)* est hora 12ª cum 8 minutis Neapoli, quae civitas sita est ad 2 gradus ad orientem Romae.

Reciproco modo, si est 13^h, 14^h, 15^h, etc., in quadam regione quando est 12 h. in primo meridiano, concludendum est quod ista regio invenitur ad 15°, 30°, 45°, etc. longitudinis orientalis... Atque ita porro...

24. — Ad vitandam hanc horarum diversitatem quae magnum afferret detrimentum *necessariae* publicorum negotiorum *uniformitati* in eodem territorio, excogitata fuit *hora legalis*, quae suppeditatur ab *unico meridiano principali* alicuius regionis, applicata singulis locis comprehensis in hac regione: « **tempus legale regionale** » (*can.* 33).

Ita, exempli gratia:

Hora legalis regionalis pro tota Italia datur a *meridiano*

---

(1) Dictae sunt *horae* a Sole quem Aegyptii *Horum* vocabant (Antonelli, *De Temp. leg.*, c. III, n. 40).

Aetnae, ad 2°, 31 orientalem Romae. Idem meridianus, ex conventione, totum fusum horarium moderatur, qui *Europam centralem* complectitur (scilicet Helvetiam, Germaniam, Austriam, Svetiam, Norvegiam, Danimarcam).

In Gallia (et Algeria) hora legalis regionalis statuta est, ex lege diei 9 martii 1919, aequalis *horae mediae observatorii* seu *speculae Greenwich*, ad 9 m. 20 s. ad occidentem Lutetiae Parisiorum. Hic meridianus Greenwich, ex conventione, est in medio primi fusi horarii complectentis omnem Europam Occidentalem sc. Britanniam, Hollandiam, Belgium, Galliam, Hispaniam, et Lusitaniam (1).

Horarum differentia inter has duas regiones (Italiam et Galliam) est praecise *unius horae*, quia Aetna invenitur ad *gradum* 15 a Greenwich (cf. supra n. **23**). Quando igitur est meridies in horologiis gallicis, horologia italica exacte tredecim horas indicant.

25. — Haec omnia praenotanda erant ad intelligentiam temporum, de quibus agitur in **can. 33, § 1**

1 — **tempus locale verum**
sc. 2 — **tempus locale medium** } quae tria tempora
3 — **tempus legale regionale**

determinantur, sive ex solo motu solis, sive ex motu solis modificato, iuxta exigentias rei publicae et conventiones populorum.

26. — Quod autem attinet ad illud *quartum tempus* in in eodem *can.* 33 dictum « **legale extraordinarium** », haec est

(1) Tertium fusum horarium est Europae orientalis (Russia et Status Balcanici) ad gradum 30um ad Orientem Greenwich.

La Repubblica Argentina ha adottato il fuso orario di Greenwich, che anticipa di un quarto d'ora l'ora ufficiale (Osservatore Romano, *6 Maggio 1920*).

quaedam transitoria modificatio temporis legalis regionalis, ab auctoritate competenti inducta, propter aliquam causam extraordinariam seu accidentalem. Ita factum est a tempore belli, per anticipationem unius horae tempori ordinario, seu legali regionali, quae renovatur singulis annis in statione verna et aestiva.

IV. — De Mensibus

27. — Iam vidimus de divisione temporis in annos, dies, et horas. Haec autem alia divisio anni in 12 *menses* facta fuit iuxta *lunationes* a Numa Pompilio.

Scimus enim ex astronomiae notionibus, quod terra, in suo indesinenti gyro circa *solem*, incessanter est comitata a suo satellite i. e. a Luna.

Luna gyrum exequitur circa terram in diebus 27 et 1/3 (1).

Luna circuit super semetipsam tempore pari.

Sed ipsa complet 29 dies et 1/2, vel 29 d. 12 h., m. 3, ut bis successive redeat in faciem solis, sc. inter duas novas lunas consecutivas.

Haec ultima periodus appellatur *revolutio synodica*, quae constituit *lunationem* seu *mensem lunarem*, quo perdurante, luna transit per diversas phases sibi succedentes ad intervallum 7 circiter dierum, et appellantur *nova luna*, *primum quartum*, *luna plena*, *ultimum quartum*.

28. — Paulatim tamen, decursu temporum, huiusmodi origo lunaris mensium visa est inconveniens et per consuetudines locorum pristinam naturam amisit.

---

(1) Praecise 27 dies, 7 horae, 43 minuta, 11 secunda, 5. Id appellatur *revolutio sideralis lunae.*

Iulius Caesar conservans anni divisionem in 12 menses, durationem cuiuslibet mensis independentem effecit a lunatione, eam determinando iuxta actuale Calendarium in periodos dierum 31, 30, 28, (1) (et aliquando 29 dierum).

Ita:

Ianuarius	habet	dies	31	Inducta postea modificatione anni « bissextilis », Februarius constat 29 diebus, ut vidimus supra.
Februarius	»	»	28	
Martius	»	»	31	
Aprilis	»	»	30	
Maius	»	»	31	
Iunius	»	»	30	
Iulius	»	»	31	
Augustus	»	»	31	
September	»	»	30	
October	»	»	31	
November	»	»	30	
December	»	»	31	

In *consuetudinibus vero vitae civilis* tres in mense numerabantur dies principales,

1 — *Kalendae*, seu primus dies mensis,
scil: 2 — *Nonae*, quintus dies, aliquando etiam, septimus
3 — *Idus*, 13us dies et aliquando 15us

Caeteri dies mensis computabantur cum relatione ad istos, iuxta

Calendarium sequens:

(1) *Trenta giorni han Novembre*
Con April, Giugno e Settembre;
Di ventotto ve n'ha uno,
Tutti gli altri n'han trentuno.
« Ignoti Auctoris ».

Triginta Aprilis, Junius, Septemque, Novemque
Uno plus alii; viginti Februus octō.
At si bissextus fuerit, superadditur unus;
Et tunc bis sexto Marti conscribe Kalendas.
Ephemerides Liturgicae (XX) anno 1906, p. 633.

CALENDARIUM ROMANORUM (1).

	Ianuarius Augustus, December (31 dies)	**Februarius**	**Martius Maius, Iulius, October** (31 dies)	**Aprilis Iunius, Septemb., Novem.** (30 dies)
1	**Kalendae Ianuariae**	**Kalendae Februariae**	**Kalendae Martiae**	**Kalendae Apriles**
2	IV° (die) ante Nonas	IV° (die) ante Nonas	VI° (die) ante Nonas	IV° (die) ante Nonas
3	III° » » »	III° » » »	V° » » »	III° » » »
4	Pridie Nonas	Pridie Nonas	IV° » » »	Pridie Nonas
5	**Nonae Ianuariae**	**Nonae Februariae**	III° » » »	**Nonae Apriles**
6	VIII° (die) ante Idus	VIII° (die) ante Idus	Pridie Nonas	VIII° (die) ante Idus
7	VII° » » »	VII° » » »	**Nonae Martiae**	VII° » » »
8	VI° » » »	VI° » » »	VIII° (die) ante Idus	VI° » » »
9	V° » » »	V° » » »	VII° » » »	V° » » »
10	IV° » » »	IV° » » »	VI° » » »	IV° » » »
11	III° » » »	III° » » »	V° » » »	III° » » »
12	Pridie Idus	Pridie Idus	IV° » » »	Pridie Idus
13	**Idus Ianuariae**	**Idus Februariae**	III° » » »	**Idus Apriles**
14	XIX° (die) ante Kalend. Febr.	XVI° (die) ante Kalend. Mart.	Pridie Idus	XVIII° (die) ante Kalend. Mai.
15	XVIII° » » »	XV° » » »	**Idus Martiae**	XVII° » » »
16	XVII° » » »	XIV° » » »	XVII° (die) ante Kalend. Apr.	XVI° » » »
17	XVI° » » »	XIII° » » »	XVI° » » »	XV° » » »
18	XV° » » »	XII° » » »	XV° » » »	XIV° » » »
19	XIV° » » »	XI° » » »	XIV° » » »	XIII° » » »
20	XIII° » » »	X° » » »	XIII° » » »	XII° » » »
21	XII° » » »	IX° » » »	XII° » » »	XI° » » »
22	XI° » » »	VIII° » » »	XI° » » »	X° » » »
23	X° » » »	VII° » » »	X° » » »	IX° » » »
24	IX° » » »	bis-VI° » » »	IX° » » »	VIII° » » »
25	VIII° » » »	VI° » » »	VIII° » » »	VII° » » »
26	VII° » » »	V° » » »	VII° » » »	VI° » » »
27	VI° » » »	IV° » » »	VI° » » »	V° » » »
28	V° » » »	III° » » »	V° » » »	IV° » » »
29	IV° » » »	Pridie Kalendas Mart.	IV° » » »	III° » » »
30	III° » » »		III° » » »	Pridie Kalendas Maias
31	Pridie Kalendas Febr.		Pridie Kalendas Apr.	

(1) L. Laurand, *Manuel des Etudes grecques et latines* (1917), Fascicule IV, p. 482; A. Boxler, *Précis des Institutions publiques de la Grèce et de Rome anciennes* (1907) p. 180.

29. — Ecclesia tamen annum lunarem servatum voluit in determinatione sui Calendarii liturgici (1).

Veteri etiam Calendario Romanorum adhuc utitur Ecclesia in editionibus Martyrologii Romani.

In ceteris vero disciplinis, iam a pluribus annis, huic antiquae computationi valedixit.

V. — De hebdomadis

30. — Nihil addendum videtur, quia sunt omnino independentes a divisione anni in dies et menses et etiam a motu solis, licet forsan aliqualem habeant relationem, quoad originem et divisionem in 7 dies, cum variis Lunae modificationibus, quae fiunt, uti vidimus supra, cum intervallis 7 dierum.

« *Forsan* » diximus, quia verius dicendum est quod divisio temporis in hebdomadas antiquissima est, cum iam in usu fuerit apud multos veteres populos.

Nonnulli asserunt quod originem ducat a septem diebus creationis mundi.

Quidquid autem sit de earum antiquitate, certum videtur dies hebdomadae nomen sumpsisse a septem principalibus Planetis sc. diem secundam a Luna, tertiam a Marte, quartam a Mercurio, quintam a Iove, sextam a Venere, septimam a Saturno, diem vero primam a

(1) Calendarium liturgicum dependet a *Luna* in eo quod spectat determinationem diei *Paschatis,* a qua dependent *festa mobilia.* Pascha enim celebratur in ea dominica, quae immediate sequitur *plenilunium.* Hoc autem locum habet post *aequinoctium vernum.* Sicut autem supponitur huiusmodi phaenomenum quovis anno verificari die *21 Martii,* exinde sequitur, quod Pascha nequeat accidere neque ante diem 22 Martii, neque post diem 25 Aprilis.

Sole (Sunday, lingua anglica, Sonntag, lingua germanica) quae postea Dies Dominica a Resurrectione D. N. I. C. dicta fuit (1).

*

* *

31. — Haec omnia pertinent ad temporis supputationem, ut ita dicam *scientificam*, quae dividitur, ut iam vidimus, in LOCALEM (tempus *verum* et *medium*) et in LEGALEM (tempus *regionale* et *extraordinarium.*

Est autem et alia supputatio quae dicitur VULGARIS seu USUALIS: et haec potest esse etiam sive *legalis* sive *localis:*

1) *Legalis*, inquam, quae in usu venit *totius communitatis* seu multitudinis, et *a iure* confirmatur (*cf. can.* 32, § 2); ita v. g. nomine anni *communiter* intelligitur, et *a iure* confirmatur, spatium 365 dierum (licet revera aliquando habeatur plus quam 365, quod scientifice demonstratum est). Item, nomine mensis *communiter* accipitur, et *a iure* confirmatur, spatium 30 dierum (licet haec supputatio non sit uniformis, ut iam vidimus nn. **16, 28**).

2) *Localis*, quae in usu est *alicuius peculiaris loci*, et ideo variari potest iuxta diversorum locorum consuetudines (*cf. can.* 33, § 1). Ita, v. g. Romae, in Ecclesiis et in nonnullis Institutis et Collegiis, horae pomeridianae mutabiles sunt, et mensurantur incipiendo a sonitu campanarum vespertino pro

---

(1) Videas etiam sequentia disticha a cl. B. VERGHETTI SS. RR. Congr. hymnographo concinnata:

Perlege, docte Pater, *DE TEMPORE* scriptor opellae,
Contentam claris versibus HEBDOMADAM:
Prima dies SOLIS, LUNAE altera, tertia MARTIS,
Quarta est MERCURII, feria quinta IOVIS,
Sexta dies VENERIS, SATURNI septima; nunc SOL
SOLIS IUSTITIAE denotat esse diem
Auguror, ut felix, longae post gaudia vitae,
Aeternos vivas SOLIS in arce dies!

salutatione « *Angelus Domini* », qui mutatur per unum quadrantem singulis *octo*, vel *novem*, vel *decem* vel etiam *tredecim* diebus, ut videre est in *Tabella pel suono dell'* « *Ave Maria* » *a tempo medio astronomico* » cf. infra p. **38**.

32. — *Quae omnia complecti possunt in schemate sequenti:*

SCHEMA - SYNTHESIS

Supputatio temporis

- **I. Usualis seu vulgaris**
  - 1) **localis,** quae *unice* pendet a consuetudinibus particularibus locorum: v. g. Romae, una hora, due horae ante « Ave Maria » vespertinum.
  - 2) **legalis,** seu *communis*, quae *in iure* accipitur ex *communi* modo loquendi totius multitudinis: v. g. in iure nomine mensis venit spatium 30 dierum, annus spatium 365 dierum, licet talis numeratio non sit semper aequalis (1).
- **II. Scientifica**
  - 1) **tempus locale**
    - a) *verum*, quod *unice* pendet a relatione solis cum *meridiano loci.*
    - b) *medium*, quod pendet a relatione solis cum meridiano loci, *addita* tamen aliqua *modificatione scientifica* ad *regularitatem.*
  - 2) **tempus legale**
    - a) *regionale*, quod lex determinat *modo ordinario* pro tota aliqua regione, habita ratione alicuius *meridiani principalis* quod fit *commune* omnibus locis istius regionis.
    - b) *extraordinarium*, quod lex determinat pro tota aliqua regione, in casu aliquo *accidentali*, seu *extraordinario.*

(1) Reapse Codex *expresse* non habet hanc distinctionem inter usualem *legalem* et usualem *localem,* quia loquitur tantum de *usuali locali* (can. 33, § 1), sed nonne *implicite* et aliam admittit (quam vocamus *legalem*) in can. 32, § 2?



PARS III.

IURIDICO-CANONICA

33. — Ex omnibus praecedentibus iam liquet illustratio iuridico-canonica Tit. III, cui tamen praemittere oportet duo principia quae legislator in mente habuit, dum elaboravit novam disciplinam de supputatione temporis, quaeque maxime proderunt ad rectam interpretationem canonum :

1[m] *Principium :* Nisi aliter notetur, tempus sumatur semper *physice* et non moraliter (1).

---

(1) Ita D'Annibale, *Summ. Theol. Mor.*, p. I, n. 39; in his enim quae *natura* aut *iure* determinata sunt non est locus *morali* aestimationi.

Si ergo tempus nondum advenerit, etsi minima pars desit, opus fieri nequit; et si tempus iam expletum est, nequit opus nec ad minimum momentum protrahi.

Unde v. gr. si quis *paulo post* mediam noctem, sc. post primum tantum horologii ictum, qui horam 24m denuntiat, aliquid per modum cibi aut potus sumeret, iam ieiunium ad Sanctam Communionem praescriptum frangeret (*can.* 808; *can.* 858, § 1).

Itemque invalide ad *novitiatum* vel ad *professionem* admitteretur vel etiam *matrimonium* contraheret qui aetatem canonicam non omnino complevisset, etiamsi ad explendum annum deesset tantum unus dies, vel una hora, vel minimum etiam momentum (*c.* 555; *c.* 573; *c.* 1067, § 1).

Item dicatur de aetate requisita ad *ordines sacros* recipiendos, pro qua, *olim*, lex tridentina (sess. 23, c. 12, *De Refor.*) late et *moraliter* interpretari solebat, *nunc* vero, ex *can.* 975, *physice* omnino et stricte sumenda est, ita ut ordinari nequeat, absque dispensatione, cui paucae tantum horae desint.

Cfr. Maroto, *Institutiones* (1918), t. I, n. 257, et seq.

S. Alph., *Theol. Mor.*, l. VI, n. 282.

2m *Principium :* Tempora sint semper absolute *completa* et *integra*; nisi aliud cautum sit (1).

Ex quibus principiis sapientissime constitutis, iam vigere cessarunt ista duo axiomata: « *Parum pro nihilo reputatur — Dies incepta habetur pro completa* » (2), quae hucusque nimis invaluerunt apud Canonistas et praesertim apud Moralistas ad solutionem multarum dubietatum, necnon aliquando ad cavillationes mentis suae vindicandas (3).

---

(1) Aliud cautum est in can. 1254, § 2, quae forsan unica est exceptio in toto iure, ubi statuitur legem ieiunii obligare usque ad annum 60m *inceptum* tantum.

In aliis casibus, semper agitur de tempore *completo*, ut videre est in eodem canone, pro inceptione *abstinentiae* et *ieiunii*, et in cc. sequentibus:

c. 12. Legibus ecclesiasticis non tenentur qui septimum aetatis annum nondum *expleverunt*, nisi aliud Iure *expresse* caveatur.

c. 88, § 1: Persona quae vigesimum aetatis annum *expleverit*, maior est;
§ 2: Minor, si masculus, censetur *pubes* a 14o; si femina, a 12o anno *completo*.

c. 331. Episcopus debet esse... annos natus *saltem* 30.

c. 367. Vicarius Generalis sit... annos natus *non minus* 30.

c. 399, § 1: Expedit ut canonicus poenitentiarius... aetatis annum *expleverit* 30.

c. 434, § 1; Ad Vicarii Capitularis munus deputari valide nequit qui... 30m aetatis annum non *expleverit*.

c. 504. Ad munus Superioris Maioris inhabiles sunt qui eandem religionem professi non sunt a 10 *saltem* annis a prima professione... et annos 40 non *expleverunt* si agatur de Supremo religionis Moderatore aut Antistita... annos 30, si de aliis superioribus maioribus.

c. 559, § 1: Novitiorum Magister sit... annos natus 35 *saltem*, 10 *saltem* annos a prima professione professus.
§ 2: Socius, annos natus *saltem* 30, et 5 *saltem* annis a prima professione professus.

c. 1573. Tum officiales, tum vice-officiales esse debent... annos nati *non minus* 30.

c. 555. Novitiatus, ut valeat, peragi debet post completum 15m *saltem* aetatis annum.

c. 573. Quilibet professionem religiosam emissurus oportet ut 16m aetatis annum *expleverit*, si de temporaria professione agatur; 21 si de perpetua.

c. 766. Ut quis licite *patrinus* in baptismo admittatur, oportet 14m suae aetatis annum attigerit.

c. 975. Subdiaconatus ne conferatur ante annum 21m *completum*, diaconatus ante 22m *completum*; presbyteratus ante 24m *completum*.

(2) Olim, inter iuristas, haec regula obtinebat: Dies incepta in *favorabilibus* habetur pro completa; non autem in *odiosis* (cf. Maroto, *Institutiones*, loc. cit.

(3) Ita v. gr.: in Antiquo Iure *aetas* ad valorem matrimonii requisita erat annorum 14 pro viris et 12 pro feminis. Haec autem non ita erat absoluta quin exceptiones pati non posset; addebatur enim haec clausula: *modo malitia non suppleat aetatem*. Ex qua restrictione non pauca oriebantur dubia necnon disputationes multae inter Doctores ad iudicandum de illa *malitia*.

Hodie vero simpliciter et absolute dicitur in c. 1067, § 1, « Vir ante 16m aetatis annum *completum*, mulier ante 14m *item completum* matrimonium validum inire non possunt ».

34. — His posititis iam exponitur

I. — Supputatio Generalis

quae tota habetur in interpretatione *can.* 32.

Iuxta hanc supputationem, tempus mensuratur ***horis***, ***diebus***, ***hebdomadibus***, ***mensibus***, ***annis***.

35. — *Hora* est 24ª pars diei, seu **dies constat 24 horis continuo** et aequaliter **supputandis** iuxta tempus medium; ab initio diei, seu **a media nocte**, usque ad finem diei, seu ad alteram mediam noctem (1).

Ex utraque parte, sc. sive ex parte ante, sive ex parte post, hora debet esse semper completa et integra, ita ut si aliqua etsi minima pars desit primo momento, dies nunquam accipi possit pro integra, vel, si desit ultimo momento, dies nunquam haberi possit pro completa.

36. — ***Dies*** est 7ª pars hebdomadae, seu hebdomada 7 diebus constat, continuo et aequaliter supputandis, quorum nomina quisque in memoria retinet, quin opportunum videatur in his commorari (Cf. n. **30**).

37. — *Mensis* vero et *annus* numerationem diversam habere possunt, secundum quod considerantur in supputatione

---

(1) Ita intelligi debet *initium diei,* non autem ut aliqui putarunt *moraliter,* scilicet primae horae diei, seu, ut alii opinabantur, illud spatium quod decurrit inter 6m et 9m horam et in recitatione Divini Officii vocatur «*Prima*», sed *physice,* sc. illud praecise momentum quo primus horologii ictus primam diei horam denuntiat. — Item *complementum diei* erit praecise illud momentum quo ictus horologii ultimam seu 24m horam diei denuntiat.

Notandum quod licet revera ista duo momenta *initium* et *complementum* coincidant simul, cum agatur de *tempore continuo,* optime tamen eorum distinctio adnotatur in nonnullis viarum ferratarum calendariis, in quibus ultimum momentum diei dicitur *hora 24,* et primum momentum, seu initium, hora 0, ita ut sequatur ita: 0,1', 0,2', 0,5', 0,10' etc.

legali usuali, vel in supputatione *scientifica*, de quibus actum est.

a) **In iure,** seu iuxta *legalem supputationem usualem*, **nomine mensis venit spatium 30 dierum,** nomine **anni venit spatium 365 dierum.**

b) Si tamen mensis et annus dicantur **sumendi prout sunt in Calendario,** tunc obtinet *supputatio scientifica*, ex qua numerus dierum non est aequalis singulis mensibus et annis, sed aliqui menses habent 31, alii 30, unus denique modo 29, et modo 28 dies, dum annus aliquando constat 365 et aliquando 366 diebus (si est bissextilis) ut videre est in supputatione scientifica (n. **16** et seq., n. **27**, nota 2).

II. — Specialis supputatio horarum

38. — In supputandis horis diei (*can.* 33, § 1),

A) Ordinarie **standum est communi loci usui.** Hic usus diversus esse potest iuxta diversitatem locorum.

a) Communiter nunc apud populos civiles horae computantur a media nocte (hora 1ª), usque ad mediam noctem (hora 24ª).

b) Aliquando tamen instituitur *duplex series horarum*, *matutina* et *vespertina*, ita ut horae matutinae computentur a media nocte usque ad meridiem (a 1ª usque ad 12ᵐ) et vespertinae a meridie usque ad mediam noctem (a 13ª usque ad 24ᵐ).

c) Olim (ut forsan hodie in nonnullis locis) computabantur horae non a media nocte, sed *ab aurora*,

seu *ab ortu solis* (1); quae computatio adhuc viget in legibus liturgicis, v. g. celebratio missae una hora ante auroram.

d) Alibi computatio fit a *solis occasu*. Ita v. g. Romae, olim, et etiam nunc in nonnullis Institutis et Ecclesiis, horae vespertinae supputantur a sonitu campanarum pro salutatione « *Angelus Domini* », qui ordinarie fit ad occasum

(1) V. gr. apud Romanos, hora computabatur ut 12a pars illius praecise temporis quod currit inter « ortum » et « occasum » solis. Cum autem hoc tempus varietur quotidie, hinc etiam variabatur duratio horarum, iuxta diversitatem temporum, ita ut haberentur horae *hibernae* (breviores) et horae *aestivae* (longiores). Ita, ex. gr., dies « 23 decembris » constabat horis 8 et minutis 54; ergo singulae horae eiusdem diei erant tantum 44 minutorum cum 30 secundis. Contra, dies « 25 iunii » constabat 15 horis et 6 minutis; illius ergo diei horae erant 75 minutis cum 30 secundis. Concordantia autem talis computationis cum tempore hodierno circiter fieri potest iuxta sequentem tabellam:

AEQUINOCTIUM seu 1a dies veris et autumni			SOLSTITIA aestivum seu 1a dies aestatis	SOLSTITIA hiemale seu 1a dies hiemis
Ortus solis:	1a hora	= 6h	= 4h, 27m	= 7h, 33m
	2a »	= 7h	= 5h, 42m, 30s	= 8h, 17m, 30s
	3a »	= 8h	= 6h, 58m	= 9h, 2m
	4a »	= 9h	= 8h, 13m, 30s	= 9h, 46m, 30s
	5a »	= 10h	= 9h, 29m	= 10h, 31m
	6a »	= 11h	= 10h, 44m, 30s	= 11h, 15m, 30s
MERIDIES:	7a »	= 12h	= 12h	= 12h
	8a »	= 13h	= 13h, 15m, 30s	= 12h, 44m, 30s
	9a »	= 14h	= 14h, 31m	= 13h, 29m
	10a »	= 15h	= 15h, 46m, 30s	= 14h, 13m, 30s
	11a »	= 16h	= 17h, 2m	= 14h, 58m
	12a »	= 17h	= 18h, 17m, 30s	= 15h, 42m, 30s
Occasus solis		= 18h	= 19h, 33m	= 16h, 27m

Ut quisque videt, sola *meridies,* seu hora 12a, invariabilis remanet, in omnibus temporibus, et semper cum initio 7ae horae coincidit.

In usibus vero vitae communis, 4 distinguebantur in die partes:

1o) « *mane* », ab ortu solis usque ad incipientem horam 3m;

2o) « *ad meridiem* », a 3a hora usque ad expletam 6m;

3o) « *de meridie* », ab hora 7a usque ad incipientem horam 11m;

4o) « *suprema* », ab 11a hora usque ad 12m completam, seu ad solis occasum.

Eodem modo dividebatur *nox,* ab occasu usque ad ortum solis, in 4 partes quae dictae sunt « *vigiliae* », quarum unaquaeque constabat ex 3 circiter horis, variabilis durationis, iuxta diversitatem temporum, firmo tamen remanente initio 3ae vigiliae, quod erat *media nox* (cf. L. Laurand, *loc. cit.* — A. Boxler, *op. cit.*, pag. 177.

solis (1): et ita dicitur « *una hora, duae horae... ante* « *Ave Maria* ». Cum autem occasus solis variabilis sit iuxta tempora, ita variatur et sonitus « *Ave Maria* », et proinde variabiles sunt horae quae ab illa supputationem habent (2).

39. — *B*) « *Ordinarie* » diximus, quia dantur *exceptiones* sive *ab homine,* sive *a iure.*

a) Et revera *ab homine* datur illa exceptio quae statuitur in *cit. can.* § 2, de qua locuti sumus in capitulo introductorio, circa **tempus urgendi obligationes contractuum** quod ante omnia determinatur a voluntate paciscentium.

b) *A iure* vero enumerantur taxative in eodem *can.* § 1, nonnulla negotia, in quibus, **licet alia sit usualis loci supputatio, tamen quis potest** pro libito **sequi tempus aut locale, sive verum, sive medium, aut legale, sive regionale, sive aliud extraordinarium.**

---

(1) Non tamen « *adamussim* » quia occasus solis variatur singulis diebus, non ita sonitus « *Ave Maria* », ut videre est in tabella sequenti.

(2) Iuxta tabellam sequentem:

TABELLA PEL SUONO DELL'AVE MARIA

A TEMPO MEDIO ASTRONOMICO

	ORE	q.		ORE	q.
14 Gennaio . .	17	2	1 Agosto . .	19	3
27 » » . .	17	3	11 » » . .	19	2
9 Febbraio .	18	-	21 » » . .	19	1
22 » » . .	18	1	31 » » . .	19	-
7 Marzo . .	18	2	8 Settembre .	18	3
20 » » . .	18	3	16 » » . .	18	2
2 Aprile . .	19	-	24 » » . .	18	1
15 » » . .	19	1	4 Ottobre . .	18	-
28 » » . .	19	2	13 » » . .	17	3
11 Maggio . .	19	3	22 » » . .	17	2
24 » » . .	20	-	4 Novembre .	17	1
11 Giugno . .	20	1	20 » » . .	17	-
15 Luglio . .	20	-	28 Dicembre .	17	1

Dal 1º Gennaio fino a tutto Maggio la mutazione *succede ogni* tredici *giorni, nell'Agosto ogni* dieci, *nel Settembre ogni* otto *e nell'Ottobre ogni* nove.

Quae negotia quatuor sunt sequentia:

1 **Privata missae celebratio;**

2 **Privata horarum canonicarum recitatio;**

3 **Sacra communio recipienda;**

4 **Lex abstinentiae et ieiunii servanda.**

De istis singulis negotiis pauca dicamus:

40. — 1. *Privata missae celebratio* fieri potest iuxta *can.* 821 § 1, non citius quam una hora ante auroram, nec serius quam una hora post meridiem. — In supputanda vero tali hora, integrum est cuilibet eligere quodlibet ex quinque enumeratis temporibus sc. usuale, verum, medium, regionale et extraordinarium.

41. — 2. *Privata horarum canonicarum recitatio* cum sit « onus diei » substantialiter viget per totum spatium diei naturalis sc. a media nocte ad mediam noctem. Dixi « substantialiter » quia servandae sunt liturgicae leges quoad horas singulas, v. gr. quoad *matutinum, laudes, primam, tertiam,* quae semper recitandae sunt ante meridiem; quoad *completorium,* quod semper recitari debet post meridiem; quoad *matutinum* quod anticipari potest die praecedenti ab hora secunda pomeridiana. In omnibus istis horis attendatur, ut iam dictum est, unum quodvis ex quinque iam enunciatis temporibus (1).

42. — 3. *Sacra communio* generatim recipitur iis tantum horis quibus missae sacrificium offerri potest (*can.* 867, § 4)

---

(1) Nota tamen quod agitur tantum de «*privata*» *missae celebratione* et *horarum recitatione,* quia si, v. gr, missa sit *conventualis* et officium *chorale,* non licebit unicuique eligere tempus celebrationis vel recitationis, sed hoc est determinandum iuxta aliquam normam, quae magis accedat ad *supputationem usualem localem.*

et ideo videas supra n. **40**; insuper ieiunium naturale a media nocte requirit (*can.* 858, § 1). Illa autem tempora eligantur inter quinque iam enumerata.

43. — 4. *Lex abstinentiae* obligat omnes qui septimum aetatis annum expleverunt, *lex autem ieiunii* urget ab expleto vicesimo primo aetatis anno ad incoeptum sexagesimum (*can.* 1254, §§ 1 *et* 2); utraque vero observari debet per totum diei naturalis spatium, sc. a media nocte usque ad mediam noctem.

In istis igitur quatuor negotiis seu materiis ecclesiasticis licet pro libito sequi unum quodvis ex illis supra enumeratis quinque temporibus.

44. — Immo « licet modo unum sequi, modo aliud; sive altero die unum, altero die aliud; sive in prima materia unum, in secunda, tertia, quarta aliud » (1), dummodo tamen haec mutatio sive variatio non inducat certae legis vel praecepti violationem. Ait enim Lugo: « Sicut praeceptum obligat certo ad opus iniunctum, sic obligat ad non mutandam sententiam, cuius mutandae libera facultas impediret praecepti observantiam » (2).

---

(1) Maroto, *Institut.* (1918), t. I, n. 258 (in fine).

(2) Lugo, *De Euch.*, disp. 15, n. 52; cf. Génicot, *Theologia moralis*, t. I, n. 81 (in fine). Quid, v. gr., si in pervigilio Pentecostes sacerdos quidam uti vellet uno tempore ad coenandum quasi dies ieiunii iam esset expleta, elapsa media nocte, et altero tempore ad celebrandum quasi adhuc a media nocte ieiunus foret? Male ageret. Cum enim Superior ius habeat ad observationem *utriusque* praecepti, habet ipso facto ius prohibendi variationem temporis ex qua impediretur observantia unius praecepti.

III. — Specialis supputatio dierum, hebdomadarum, mensium et annorum

45. — I. De *hebdomadis* nihil speciale occurrit dicendum, cum habeant, ut iam dictum est, computationem regularem et constantem, sive considerentur *scientifice*, sive *in usu communi.*

46. — II. De *mensibus* et *annis* notandum est quod isti possunt 1) *determinate* designari, sc. proprio nomine vel aequivalenti; 2) vel *sine ulla determinatione.*

In primo casu, sc. **si menses et anni designentur proprio nomine,** v. gr. **mense februario... anno 1921, vel aequivalenter,** v. gr. **secunda mense... anno proximo futuro,** tunc **sumantur** physice et naturaliter **prout sunt in Calendario,** iuxta suam *numerationem scientificam* (de qua in n. **16, 18, 28**) sc. mensis 28, aut 29, aut 30, aut 31 dierum, et annus 365 aut 366 dierum, iuxta casus (*can.* 34, § 1).

In secundo casu, sc. si menses et anni sine ulla determinatione designentur, v. gr. *unus vel duo menses, unus vel duo anni* (ad libitum), tunc sumantur iuxta *supputationem usualem* seu *fictitiam* (de qua in n. **31**) sc. mensis 30 dierum, annus 365 dierum.

47. — III. Ad *dies* quod attinet, cum isti constent pluribus (et multis) momentis, duplex distinguitur in iure supputatio:

1) Una quae dicitur *ad momenta,* seu *de momento ad momentum,* in hoc consistit quod tempus incipiat a tali determinato momento infra diem, et compleatur alio determinato momento eiusdem vel alius diei.

2) Altera quae vocatur *ad dies* seu *de die ad diem*, hoc significat quod tempus incipit, non ab uno infra diem momento, sed ab ipso initio diei, seu a media nocte, et absolvitur ad aliam mediam noctem, seu ad complementum diei, quidquid sit de praeciso momento actionis de qua agitur (1).

Iamvero investigare oportet quando computatio fit ad momenta et quando ad dies et quomodo in singulis casibus.

48. — I. *Computatio ad momenta* (*ibid.* § 2):

Si terminus a quo, sc. momentum in quo ponitur actio, seu factum ex quo tempus enascitur, **nec explicite nec implicite assignatur,** ex. gr. si dicatur tantum in genere: « **suspensio a missae celebratione per mensem aut duos annos; — tres in anno vacationum menses** (2), tunc **tempus supputetur de momento ad momentum,** v. gr. in primo exemplo « *suspensionis* », incipiendo a momento in quo lata fuit ista poena, usque ad idem praecise momentum post expletum mensem; in secundo exemplo « *vacationum* », incipiendo a momento ex libera voluntate determinato, usque ad idem praecise momentum post tres expletos menses.

Iterum attendatur haec distinctio:

A) **Si tempus sit continuum, ut in allato primo exemplo, menses et anni sumantur prout sunt in calendario;**

B) **Si tempus sit intermissum,** ut potest esse in secundo exemplo, tunc **hebdomada intelligatur 7 dierum, mensis 30, annus 365** (*ibid.*, § 2).

Et hoc planum est, ex *numeratione scientifica*, quae sola adhiberi potest *in primo*, et ex *numeratione usuali*, quae locum habere potest *in secundo*.

---

(1) Non tamen eodem modo fit computatio « *ad dies* » in « *antiquo* » et in « *novo* » Iure (cfr. infra p. 44, nota 3).

(2) Qui ex c. 418, § 1: conceduntur *canonicis* et *beneficiariis*.

49. — II. *Computatio ad dies* (*ibid.*, § 3):

Si tempus constet uno vel pluribus mensibus, una vel pluribus hebdomadis, aut tandem pluribus diebus, et terminus a quo explicite vel implicite assignetur, tunc datur locus computationi ad dies (*ibidem*, § 3) isto modo et cum sequentibus regulis:

1) *menses* **et** *anni* **sumantur prout sunt in calendario,** sc. prout revera sunt ex *numeratione scientifica;* nec aliter sumi possunt, cum agatur de tempore continuo cuius initium determinate assignatur (*ibid.*, 1°).

50. — 2) *Dies* vero computantur sub hac duplici ratione:

A) *Prima regula:* **Terminus a quo** ponitur actio **coincidit cum initio diei,** sc. quando negotium incipit ipsa media nocte, ex. gr. **duo vacationum menses** (1) **a die 15 augusti** (sc. ab initio diei 15 augusti). Tunc **primus dies ad explendam numerationem computetur** (quia est dies completus) et **tempus finiatur incipiente ultimo die eiusdem numeri,** seu, in allato exemplo, initio diei 15 octobris, seu media nocte inter 14 et 15. Et hoc plane constat, quia ab initio diei 15 augusti usque ad *incipientem* diem 15 octobris, certe invenies duos menses absolute completos (*ibid.*, 2°).

B) *Secunda regula:* **Terminus a quo non coincidit cum initio diei,** sed ponitur alio quolibet diei momento, ex. gr. 1) **14us aetatis annus** (2), pro illo qui natus non est praecise ad mediam noctem; **2) annus novitiatus** (3), qui incipit a momento ingressus; sed iste ingressus non solet fieri media nocte;

---

(1) qui ex c. 465, § 2 *Parocho* concedi solent.

(2) qui ex c. 88, § 2, requiritur ad *pubertatem* in *masculis.*

(3) C. 555, § 1, n. 2.

3) **octiduum a vacatione sedis episcopalis** (1), quando ista vacatio non evenit praecise media nocte; 4) **decendium ad appellandum** (2), quod spatium computatur a momento sententiae iudicialis primae instantiae, quae non solet pronunciari media nocte. Tunc, in istis exemplis et similibus, **primus dies ne computetur** quia est mancus (et dies inceptus nunquam haberi potest pro completo), et **tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri** (*ibid.* 3°).

Et hoc planum est; etenim si v. gr. annus novitiatus, de quo in secundo exemplo, qui incipit ad horam nonam diei 30 ianuarii, cessaret *incipiente* die trigesima ianuarii anni sequentis, iam non haberetur annus absolute completus, deficiente illo spatio quod currit a media nocte usque ad horam nonam. Et ideo cum computatio fiat *ad dies* et non ad momenta, ut vidimus, expleatur oportet *expleto* die 30 ianuarii (3).



51. — Sed evenire potest ut in applicatione duarum praecedentium regularum, **mensis de quo agitur ad finiendum tempus non habeat ultimum diem eiusdem numeri,** v. g. **si dicatur : « unus mensis a die 30 ianuarii »,** (scimus enim ex *supputa-*

---

(1) Ex c. 432, § 1, conceditur *Capitulo Ecclesiae cathedralis* ad eligendum *Vicarium Capitularem.*

(2) C. 1881.

(3) Ex S. C. de Relig. 3 Maii 1914, annus integer novitiatus « in posterum, non stricte de " *hora ad horam* " sed " *de die in diem* " intelligi debet », non secus ac « in tribus integris annis votorum simplicium qui emissionem votorum sollemnium praecedere debent ».

Hoc autem videtur significare annum novitiatus inceptum v. gr. die 30 Ianuarii ad *horam nonam,* finem habere eodem die 30 Ianuarii anni sequentis *quacunque hora diei,* ut infra dicetur de tribus annis professionis temporariae (n. 52).

Non ita ex novo Iure, can. 34, § 3, n. 3, ubi ista computatio plane distinguitur ab alia quae locum habet pro « actibus eiusdem generis statis temporibus renovandis » (ib. n. 5).

tione scientifica quod februarius nunquam habet 30 dies). Quid ergo? **Si mensis die eiusdem numeri careat, tunc pro diverso casu, tempus finiatur incipiente vel expleto ultimo die mensis** (*can.* 34, § 3, 4°). Notentur verba « *pro diverso casu* » sc. *a*) *incipiente* ultimo die, si terminus a quo coincidat cum initio diei, ut in *prima regula; b*) *expleto* ultimo die, si terminus a quo non coincidat cum initio diei, ut in *secunda regula.* Ita, in exemplo allato, « *unius mensis a die* 30 *ianuarii* » tempus finietur *a*) iuxta primam regulam, *incipiente* die 28ª (vel 29ª, si bissextilis sit) februarii, *b*) iuxta secundam regulam, *expleto* eodem die ultimo februarii.

Nec *obiiciatur* quod, in tali casu, non habetur mensis completus 30 dierum. — *Respondetur* enim quod tempus sumitur prout est in Calendario, iuxta computationem scientificam, et ideo integrum et completum.

*

* *

52. — Denique ad absolvendam hanc materiam, sc. computationem *ad dies*, notetur casus sequens *omnino singularis:* (*ibid.* 5°)

Si agatur de actibus eiusdem generis statis temporibus renovandis, ex. gr. triennium ad professionem perpetuam post temporariam (1); — **triennium aliudve temporis spatium ad electionem renovandam** » (2); — tunc, ex una parte, terminus a quo non coincidit cum initio diei, et ideo primus dies non computetur, iuxta secundam regulam; ex alia parte, **tempus finitur** non quidem, iuxta eandem regulam, *expleto* ultimo

(1) c. 574, § 1.

(2) c. 505.

die eiusdem numeri, sed **eodem recurrente die.** Notetur differentia verborum quae, si recte opinamur (1), non otiosa esse debent: non dicitur « *expleto die* », sed « *eodem recurrente die* », sc. ipso praecise diei momento, quidquid illud sit, in quo actus renovatur eiusdem generis.

Quid insuper? **Tunc novus actus per integrum eundem diem poni potest** (*can.* 34, § 3, 5°), quia ipso momento quo fit renovatio actus explicit prima pars temporis.

53. — Ita in allatis duobus exemplis:

Ad 1um : Supponamus quod « *professio temporaria ad triennium* » facta sit die prima ianuarii 1917, hora octava. Tunc, iuxta regulam secundam, cessare deberet *expleto* die prima ianuarii 1920, sc. ad mediam noctem inter 1 et 2 ianuarii. Sed non ita est, cum enim in casu agatur de actu eiusdem generis renovando, quia professio temporanea non est nisi praeparatio ad professionem perpetuam quae illi sine intermissione succedere debet, tunc ille actus, seu illa secunda professio, permittitur ut emittatur per integrum eundem diem primum ianuarii 1920, sive ad horam octavam, sive ante, sive post eandem. Quapropter eodem praecise momento quo elicitur professio perpetua explicit tempus triennale professionis temporaneae.

Nec dicas quod illud triennium non est absolute completum, maxime si ante horam octavam emittatur professio perpetua. Etenim heic agitur de eodem actu « *professio religiosa* » qui nedum cessationem seu interruptionem patiatur, potius prorogationem et extensionem accipit, et agitur proinde de tempore non intermisso sed continuo, de tempore sc. quod

(1) Non ita cl. MAROTO: *Institut.* (1918), t. I, n. 259 (in fine), si recte suam explicationem intellexi.

reapse non interrumpitur sed potius augetur et extenditur in infinitum.

Quod si v. gr. loco renovationis professionis, locum haberet eius cessatio, vel ad tempus interruptio, tunc putamus triennium non esse completum nisi expleto die 1° ianuarii, iuxta regulam 2^{am}.

Ad 2um exemplum « de *electione renovanda statuto tempore* », eodem modo ratiocinari oportet. Cur enim nova electio permitti potest, etiam non expleto prioris tempore, sed quolibet momento eiusdem recurrentis diei? Ut in *officii provisione* non sit intermissio, et quia revera agitur de eodem negotio et de eodem non interrupto sed continuato tempore. Prius igitur tempus, nedum dicatur incompletum, maxime et ultra completum vocari potest.

IV. — Tempus utile et continuum

54. — Ad complendam totam materiam de tempore remanet interpretandus **can. 35,** ultimus huius tituli, qui ita inscribitur: « **Tempus utile illud intelligitur quod pro exercitio aut prosecutione sui juris ita alicui competit ut ignoranti aut agere non valenti non currat; continuum quod nullam patitur interruptionem** ».

Tempus enim, de sua natura, physice et obiective consideratum, independenter a nostra intentione et voluntate, semper currit sine intermissione, ita ut de continuo et indesinenter momenta succedant momentis, horae horis, dies diebus, et ita porro. En tempus continuum.

Sed ad supputationem eius quod attinet, non solum obiective sed cum aliquo respectu ad subiectum agens considerari debet, ita ut si tale subiectum ignorantia laboraverit

quoad illud tempus, vel impeditus fuerit in sua actione, puta in exercitio vel prosecutione sui iuris, quoad aliquam temporis partem, illud tempus, vel illa pars temporis ne computetur: tunc enim censetur pati interruptionem et in iure dicitur quod *non currit impedito*. EN TEMPUS UTILE.

Cuius distinctionis varia exempla afferri possunt, in diversis materiis sive ordinis administrativi sive ordinis iudicialis. Sic v. gr. 1) *electio* ad aliquod officium, de qua in *can.* 161, nunquam differatur ultra trimestre utile ab habita notitia vacationis officii. Iamvero supponamus quod, expleto illo trimestri, electores sint impediti per 15 dies. Tunc tempus amplius non currit, sc. per 15 dies patitur interruptionem. 2) *Appellatio* a sententia contra Titium prolata die 5 ianuarii interponi potest intra 10 dies, sc. usque ad diem 15 eiusdem mensis. Ita ex *can.* 1881. Sed supponamus quod sententia Titio notificata fuerit tantum die 10 ianuarii. Tunc a die 5 usque ad 10 tempus interrumpitur, seu *non currit ignoranti*. Iterum supponamus quod, nondum expleto decendio, Titio adveniat impedimentum ad agendum. Tunc adhuc interrumpitur tempus, seu *non currit agere non valenti*.

Cum istis vel aliis similibus exemplis sufficienter innuitur discrimen inter tempus *continuum* et *utile*, quorum primum semper sine interruptione currit, alterum vero aliquando interrumpitur in favorem agentis. Nota verba « *in favorem* », quia speciale commodum agenti affert, quod aliquo modo est *contra ipsam naturam temporis* obiective sumpti. Eapropter *stricte* interpretandum est, nec praesumitur tempus utile sed continuum, nisi probetur, seu nisi expresse vel implicite dicatur.

Tempus tamen utile, sicut et tempus continuum, sequitur regulas superius traditas et semper absolute completum et integrum esse debet.



CONCLUSIO

Instar *coronidis*, seu *epilogi*, sint sequentia clarissimi Hymnographi, superius memorati,

DISTICHA

Utile scribis opus « *De Tempore* » : scribere plura
Ipse opportuno tempore ne renuas!
Gratulor ex animo: crebro meditare, sacerdos,
Nonnulla e Sacris prompta Voluminibus:
Exiguum est vitae tempus, ceu transitus umbrae!
Conserva tempus! temporis hora brevis!
Omnia praetereunt! Deus immutabilis extat!
Interea benedic tempus in omne Deum!
Dum tibi tempus adest (Doctor sic Paulus apertis
Edocet hoc verbis), usque operare bonum!
Sic tibi decurrant felicia tempora, scriptor,
Ut solum aeternus sit tua vita Deus!

F. V. D.

INDEX

Pag.
Rev.mis et clarissimis suis Magistris 5
Approbationes et Commendatitiae 7
Ad Benevolos Lectores 9

DE TEMPORE

Praenotanda seu Introductio generalis totius Dissertationis . . 11
Pars I: Metaphysica 13
Pars II: Scientifico - Empirica 19
I. De annis 20
II. De diebus 23
III. De horis 25
IV. De mensibus 27
V. De hebdomadis 30
Schema-synthesis 32
Pars III: Iuridico - Canonica 33
I. Supputatio generalis 35
II. Specialis supputatio horarum 36
III. Specialis supputatio dierum, hebdomadarum, mensium et annorum 41
IV. Tempus utile et continuum 47
Conclusio Dissertationis 49

Ejusdem Editoris

—

OPERA NOVISSIMA

CARBONE (C. Sac., Theologiæ et Juris Canonici Doctor, in Seminario Regionali Apulo-Lucano, Theologiæ Dogm. et Sacræ Eloquentiæ Magister). *Praxis Ordinandorum* ea omnia potissimum complectens quæ Clericis scitu necessaria seu utilia habentur pro experimentis Ordinationibus præmittendis, ad *Canones Codicis Juris Canonici* redacta. Vol. in-16, 1920, pag. XVI-244.

— *Examen Confessariorum ad Codicis Juris Canonici normam concinnatum.* Vol. in-8, 1921, pag. XVI-368.

MICHELETTI (Prof. A. M. emeritus Vice-Præses et Pædagogiæ Ecclesiasticæ Lector in Pontif. Collegio Apostolico Leoniano de Urbe, Consultor S. C. Seminariorum et Universitatum Studiorum). *Constitutiones Seminariorum Clericalium ex Codice Piano-Benedictino* omnium Gentium Sacris Institutis accommodatæ; Viro Eminentissimo CAJETANO S. R. E. Card. BISLETI Sacri Consilii Seminariis ac Studiorum Universitatibus moderandis Præfecto humillime dicatæ. — Volumen in-4 parvo, 1919, in charta manufacta.

NAVAL (R. P. Franciscus, e Missionariis Filiis P. Cordis B. V. Mariæ). *Theologiæ Asceticæ et Mysticæ Cursus*, ad usum Seminariorum, Institutorum Religiosorum, Clericorum, necnon Moderatorum animarum. Prima versio latina, juxta II editionem hispanicam, a R. P. Josepho M. Fernandez, ejusdem Congregationis alumno, accuratissime facta, et ab Auctore recognita et approbata; in-16, pag. 412, 1919.

NOVAL (P. Joseph O. P., Philos. ac Juris Can. Doctor, Professor Textus Canonici in Pontificio Collegio Angelico, Codificationis Canonicæ jam Consultor). *Commentarium Codicis Juris Canonici: Liber IV De Processibus.* Pars I: *De Iudiciis.* Vol. in-8 max.

SEBASTIANI (Sac. Nicolaus S. Theol. et Utr. Juris Doct., Cancellarius a Brevibus Apostolicis Benedicti PP. XV). *Summarium Theologiæ Moralis ad Codicem Juris Canonici accommodatum.* — V[a] Edit. in-8 max., 1910 (16 mille), pag. VIII-404. — VI[a] Edit. 1921 (20 mille), in charta indica, manualis.

UCCELLO (R. P. Seb. S. S. S. in collegio Tolosano [Hispaniæ] quondam Profes.). *Philosophia Scholastica* ad mentem S. Thomæ. Edit. 1921, 2 vol., pag. circiter 1000.

Ejusdem Editoris.

—

OPERA NOVISSIMA

CAPPELLO (P. Felix M. Societatis Jesu, Doctor Sacræ Theologiæ Philosophiæ, Juris Canonici ac Civilis). *De Censuris juxta Codicem Juris Canonici.* In-8 max., pag. VIII-208.

— *Tractatus Canonico-Moralis de Sacramentis juxta Codicem Juris Canonici.*

Jam editum :

Vol. I. *De Sacramentis in genere — De Baptismo, Confirmatione et Eucharistia.*

Sub praelo :

Vol. II. *De Pœnitentia, Ordine et Extrema Unctione.*

Vol. III. *De Matrimonio.*

COCCHI (Guidus M. Prof. Theologiæ Moralis et Juris Canonici in Collegio Internationali Brignole-Sale pro Missionibus exteris). *Commentarium in universum Codicem Juris Canonici pro Scholis concinnatum.*

Jam editum :

Vol. I. *Normæ Generales seu de Legibus.*

Sub praelo :

Vol. II. *De Personis in genere et in specie.*

Vol. III. *De Rebus.* Pars I, II et III: *De Sacramentis; De Locis et Temporibus sacris; De Cultu divino.* Pars IV et V: *De Magisterio: De Beneficiis.*

Vol. IV. *De Processibus.*

Vol. V. *De Delictis et pœnis.*